



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XVIII. Hortatur ad odium Auaritiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

*Hortatur ad odium Auaritiæ.*

**V**AE vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram, in hoc mundo. Cur tam anxie adoratis aurum, quod quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis? Nihil nisi terram diligitis, & opes meas cælestes obliuioni tradere festinatis. Citò cum dolore amittetis, quæ nunc cum illicita delectatione possidetis. Scriptum est enim dictante spiritu meo: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Fugite ergo auaritiam, quæ est idolorum seruitus: & præter me, nullas opes aestimate. Tantundem enim amori meo detrahitis, quantum in bonis caducis collocatis. Minus enim me amat qui mecum aliquid amat, quod propter me non amat. Nonne considerabitis, vos cito morituros, ut sitim cupiditatis extinguatis? Quorsum horrea noua ædificare, & domos æternas in terra peregrinorum fabricare queritis, ut ibi argentum recondatis? The-  
sauri-



faurizate potiùs vobis thesauros in cælo, vbi semper victuri estis, & misericordius pauperum mihi Deo vestro fæneramini. Certè, semitæ omnis avari animas perfidentium rapiunt, vt in terra deserta, inuia, & in aquosa, longè à salute mea, longo exilio demorentur. Deponite iam pondus terræ, qua grauamini: relinquate omnia, vt me, qui non habui inter vos, vbi caput reclinarem, sine onere sequi valeatis. Quomodo enim me expeditum, & currentem sequi poteritis onerati? Benè dixit Petrus fidissimus seruus meus: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; neque enim exultasset mecum ad currendam viam, nisi pondus tantum abiecisset. Hoc ergo facite, & viuētis.

## CAP. XIX.

*Hortatur ad odiū parentum,  
& consanguineorum.*

**S**PIRITVS est, qui viuificat: caro autem non prodest quicquā. Immo, non solum non prodest caro, sed vehementer nocet. Ideò fideles amici